Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & S. Lucæ Orthodoxorum Medicorum Patrono. 1289

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE JOVIS IV. APRILIS.

M. IACOBO LEMENESTREL Doctore Medico, Præſide.

Eſt-ne æger ad λιθοτομίαν balneo præparandus?

QUÆ renum aut veſicæ calore dureſcunt arenæ leves, jam coguntur in calculum ſolidiorem, nullis, dum utroque carcere coërcetur, comminuendum λιθοθρυπτικῶν malleis. Hunc quælibet pars corporis efferre poteſt: frequenter articuli: frequentiùs veſica & renes; ita tamen ut illius maleficâ virtute ſæpe-ſæpius generetur, nec ſemper ab his πρώταρχον accipiat. Exiguus occultè quaſi ſerpit nihil dum ſuſpicante ægro, & peragrato per longos anfractus itinere, foras exigitur. Grandior, ἐνεργητικοῖς, quibus maximè adhibenda cautio, nonnihil agitatus, penetrat per ureterum & urethræ mæandros, μαλακτικοῖς, balneo, aut ſemicupio priùs amplificatos. Sed proh dolor! ei tanta acceſſit moles, ut iniquis ſpatiis incluſus, loco dimoveri nequeat. Tunc in rene quieſcens immobilis, difficili pondere & torpore ſolo moleſtus eſt: at ſtationis impatiens, multis etiam horridus aculeis, perfodit ſummo cum dolore partem hanc, cui natura ſenſum dedit exquiſitum. Vis opem ferre laboranti, abſtine à chirurgiâ, quæ certâ & mox-futurâ morte acerbiſſimi cruciatus diuturnitatem occupabit: ſolis lenientibus permulce potiùs vim doloris, cujus ſpiculis acriùs percellitur coarctato in ureteris anguſtiis calculo: hic loci quò premitur parietes tantâ interdum feritate diducit, ut qui teretis tenuiſque lumbrici gracilitatem repræſentabat, pollicis craſſitudinem nonnunquam æquare viſus ſit. Interea ne lamentetur æger, neve animum deſpondeat: qui irrepſit in arctiora ureteris clauſtra, illinc ſe expediet calculus, & clementioribus pharmacis, ſenſim, ſed non citra dolorem deturbabitur in veſicam, in cujus humore viſcido & arenis tanquam in luto diutiùs volutatus, novum eumque duriſſimum induit corticem, ipſi foras viam affectanti moras interpoſiturum. Hìc dum liberè ſpatiatur, odium vitæ facit recurrente identidem impatibili dolore, quem mollire quidem poteris, at nunquam ſummovere, niſi per eam, quam denegavit natura viam, ferro reſeratam, calculus extrahatur.

HÆC unica crudeliſque medicina huic morbo crudeliori, ſed non uni, debetur: ſcilicet conſueto itinere intercluſo urinæ, hæc mordaci ſale veſicæ collum exeſt, & quà decurrat aliquando aperit in perinæo cuniculos multiplices, callo undique oblitos, claudendos nunquam niſi hic κυστοτομίᾳ auferatur. Qualiſcunque ſit illa ratio quæ te operi accingit, non ſtatim eſt diſtringendus gladius, & quovis tempore cuilibet obvertendus. Convenientiſſimam, ſi liceat, elige veris aut autumni tempeſtatem, ut ex viris & mulieribus, ſenibus & pueris, ſeces eos duntaxat, quorum vires acutiſſimis hujus chirurgiæ doloribus, eamque brevi-ſecuturis ſymptomatis non infringentur. Non te ideo deterreat multoties & partitis vicibus pro earum ratione profuſus ſanguis, ſub cujus pondere oppreſſæ languent, quo detracto recreantur. Exinanitis vaſis impuri humores primis remotioribuſque viis hærentes, non mochlicorum arietibus excutiendi, ſed mollioribus catharticis per ἐπίχεσιν inſtitutis blandè ſunt è corpore ſubducendi, ut nullum ſit ab opere periculum ſic præparato ægrotanti, modò caſtam & cautam ſervet vivendi legem, & alvus frequenti clyſtere ſollicitata fœces quotidie deponat. Et ſanè multùm prodeſt hæc præparatio ad minuendum dolorem & ad graviſſima incommoda præcavenda: nam minori copiâ collectus ſanguis, à ſero & plurimâ bile purior nitidiorque gradu lentiori movebitur, & ſegniùs excurrens in partem ſauciam, eam ab inflammatione vindicabit, promovebitque orarum vulneris coagmentationem, cui potiſſimum eo inflicto, eductoque calculo ſtudendum impenſiùs, ut obductâ cicatrice non diſſolubili, pars reſtituatur priſcæ integritati. Sic enim omnis factorum, aut ab ipſo opere faciendorum remediorum adminiſtratio eò ſemper collineet: quod quidem propoſitum nunquam aut ægriùs aſſequêris, ſi pauló antequam æger ultima experiri ſtatuat, dolotis ferociam mitificaverit dulcedine balnei.

RECEPTUS loquendi mos ſolitarium ejus nomen non ponit laconico, non calidiſſimis aut frigidiſſimis aquis ſimplicibus, non his quæ ſulphure, ſale, bitumine aut aliis id genus adulterantur, quibus omnibus vix quicquam pernicioſius λιθιάσει. Per balneum quô ſanitas conſervatur, & affectus penè omnes oppugnantur, intellige tepefactæ & dulcis aquæ ſolium, in quô quotidie ſemel aut iterum, diutius & quietè ſedens æger, acerbitatem morbi lenit, diuturnitatem minuit; quippe quod temperato ardore ſanguinis, gratioſum hunc ſuccum fuſum & liquefactum defert ad famelicas partes: obtundit aculeum bilis & ſeroſæ illuviei: ſuaviſſimo rore æſtuoſorum viſcerum agrum irrigat, dulcia fuſurum papavera, dolorem advocato ſopore placantia. Pleraſque etiam λιθιάσεως moleſtias extenuat: accenſum in renibus & veſicâ ignem reſtinguit: abſcedentem à craſſo humore, cui non ſatis accuratè admiſcetur, ſalem, concretionis lapideæ autorem diſſolvit: in veſicam atque inde extra corpus derivat arenas & lapillos, quibus foras proditutis arctiores laxat vias: horrendos illos quos movent dolores, ceu blandum aliquod nepenthes non patitur manare longiùs, ſed mirum in modum ſupprimit. Tot balnei dotes dum ſuſpicis, cave ne illud ingrediaris quoties in mentem aut in libidinem veniet: ſuas ſicut & noſtra chirurgia cautiones amat, quas ſi neglexetis, multùm capies ex hujus uſu detrimenti. Nec enim tibi ſatis eſſe debet ſi fluxuri in partem dolentem humoris incurſionem fregeris ablatâ priùs ſanguinis copiâ & impuritate: luculenta ſint niteantque viſcera, nec eorum princeps aliquod infirmitas teneat, ne fortè humoris balnei tepôre liquati impetu opprimatur: nulla pariter doleat inſigniter pars ignobilis, cujus tamen maxima ad vitæ & ſanitatis integritatem neceſſitas, qualis eſt mox-ſecanda ægrotantis veſica, quæ cum ſit imbecilla, breviquc futura imbecillior, illatam ſibi à balneo injuriam nunquam aut ægrè declinaret.

MISERABILEM ne credas hujus conditionem quæ aptè munus ſuum exequitur, & gaudet eâdem quâ cæteræ partes vacuitate moleſtiæ. Cùm ægritudine cruciatur, receptis à naturâ beneficiis abutitur ad ſui perniciem, ejuſque compoſitio, temperamentum, ſitus, & uſus, utramque valetudinem perficiunt aut demoliuntur. Hinc prima origo ejus nativæ imbecillitatis; externæ atque adventitiæ, dolor eſt exſuſcitatus calculo, cujus mole arcendæ urinæ itineri obviam objectâ torquetur; aſperitate pungitur, dum, eâdem excluſâ, ejus membranæ ſubſident. Sed longè-majoribus quàm-primùm angetur cruciamentis: equuleo admovetur æger: introducitur in veſicam catheter calculum undique exploraturus: hæc lentè ſecatur gladio multoties eamdem viam relegente, & non niſi erumpente urinâ è vulnere retrahendo, in quod immittuntur ferrei duo ductores, novum excipientes carnificem, qui hujus oras laceret, & in varias partes crudeliſſimè diducat: ſequuntur incurvi forcipes, quæſitum diu calculum, ſi hæreat, evellentes; ſi grandior, dente priùs contritum & apprehenſum, veſicæ cuſtodiis liberantes. Hæc magno tot inſtrumentorum apparatu miſerè laniata, languet effœta, & ſæpiſſimè præ tormentorum effrænatâ violentiâ concipit ignem νεκρώσεως prævium, non compeſcendum, ſed vehementiùs efferveſcentem imbre maximo, quô balneo extenuati humores veſicam irrigant. Licet longa ciborum abſtinentia & tuſæ ante & poſt κυστοτομίαν multoties venæ plurimum ſanguinem exhauſerint, reſiduum tamen in corpore, acerrimo etiam quô fœtus erât ſale vacuum, balnei calor colliquefacit, eique tribuit mobilitatem, quâ ceu præpetibus pennis quoquoverſum involat, & maximè in partes, quibus dolor incredibilis calorem & imbecillitatem inſignem accerſivit; ita ut quò diutiùs in eô moratus fuerit æger, eò gravius indè periculum emergat, à quô ſi optimæ naturæ vi ſalvus & incolumis ſubducatur, eum non tædeat diuturnitatis morbi ad longinquum tempus tamdiu duraturi, donec fracto omni humorum, qui ad partem vulneratam irruebant impetu, purgato vulneri obdatur peſſulus firmiſſimæ cicatricis.

IN carnibus ineſt raritas quædam & aſſimilis ſpongiæ mollitudo, per quam tranſmiſſos humores balneo elicitos roris inſtar exudant crepidines vulneris nunquam obſerandi, quin priùs profluens eorum celeritas ſiſtatur aut retardetur: in quo multùm operæ & laboris conſumendum, ſæpe ſæpius fruſtra: eæ enim tenuiſſimo ſucco, uſu frequentiori balnei evocato, madidæ & turgeſcentes, in oppoſitas utrinque partes adeo recedunt, ut vix adduci, & adductæ conſervari poſſint. Corporis habitudo eô facta laxior, nonnunquam dimittit in veſicam quos retinere nequit humores luculentum ignem accenſuros: Hinc non modò disjunctæ hianteſque vulneris oræ patent, ſed & natura ab inſtituto movendi puris officio excluditur; & putreſcens inibi ſanguis mortiferâ corruptelâ partem depravat. Atque adeo multùm abeſt ut hanc priſtino temperamento reddat, ſymptomatiſque occurrat, quæ calculi in veſicâ mora, ipſaque creavit gladij acies; quinimmo & graviora ciet balneum; ita ut ſi quis ægro benè-conſultum iri credens, hunc ineunte vere in illud immerſerit, tunc omittat chirurgiam differendam in autumnum ſeneſcentem; ut qui tenuiſſimus erat & mobiliſſimus ſanguis, eô temporis ſpatio conquieſcens, veterem concretionem recuperet, ſine quâ omnis occludendi vulneris labor irritus futurus eſt: quippe quòd pus admixto eô humore, balneo jam attenuato, qui utramque vulneris marginem aſſiduo rore rigat, liquefactum diffunditur, crudumque & malè-coctum maturitatem omnem ſubterfugit. Facto pure cogitas de verrendo vulnere, operam perdes & ſcopas: balneum prævium huc aduehit eam ſordium illuviem vix aut nullo modo expurgandam: & ſi quæ ſuccreſcat caro, laxa nimiùm & multo humore diffluens, ineptam præbet materiem cicatrici, quæ vel nulla, vel mox refricanda inducitur. Ad quod quidem opus excitari non poteſt natura, nec admotis oleis quæ nocent inſtituto, nec ad id aptiſſimis medicamentis, quorum efficacitas retunditur & eluitur ſtillante ſemper ab interioribus carnibus humore.

Non eſt igitur æger ad λιθοτομίαν balneo præparandus.



Proponebat Lutetiæ FRANCISCVS GIRARD, Bleſenſis. A. R. S. H. 1675.